

CONSULTAT. III.

*De præcedenti casu ad Clariss. Dn. D. Osvaldum Schrecken-
fuchsim, Medicum Illustrum Procerum Cameralium Spiren-
sium, qualis Morbi eventus, annexa Dissertatione
de Causis.*

Ruditio tuo consilio de Ill. Rudito tuo consilio de Ill. ac Gener. Dn. D. adversa valetudine concitatus, intermittere non potui, nec ingratum fore duxi, siquidem totius morbi decursum tibi significarem. Pridem calatum in manus sumiere & tuæ respondere constitueram, at consultiū sum arbitratus, præstolarī eventam. Cum igitur Illust. Vir relicto terreno hoc domicilio emigrarit ad superos, divina speculatorus, haud abs re, referre transacta. Quod meum scriptum de Ill. Viti affectu adornatum, ceu doctissimum dilaudare non dubitasti, pro tanto elogio, magnas ago gratias, eò magis, cum cognotim, exin majorē mihi conciliatam existimationem. Sed jam me conferam ad Illust. Virtutum & occasum. Memoria indies magis diminuta, tandem ex toto aboluta. Etenim cum Ill. Viro charta ad subscribendum, à præfecto, oblatā, id præstare non potuit, exin compertum, ipsum cum Messalā Corvino proprii nominis oblitum. Dolor in occipitio & dextrâ capitū regione, permanebat stabilis, tandem, sensim totum latus dextrum resolutum, post mensē à paralyſi, tan-

dem supervenit insultus apoplecticus sat validus, ut de vita periclitatus, materia sat copiosa, è capite per fauces & æsophagum in ventriculum descendisse, observata, ad ejus orificium delata, singultum concitabat, ab eo tempore per aliquot septimanias, anhelitus admodum fætidus ex ore, tanquam cloacā, exhalare perceptus, astantibus non parum molestus. Et si illa symptomata videantur ab humoribus pituitosis in cerebro & nervoso genere herentibus, suam originem traxisse, tamē, quin majus quidpiam reconditum, & in cerebro resederit abscessus, tantè oblivionis & tam contumacis doloris effector, eò magis cum materia illa è cerebro descendens admodum putida notata, & ad os ventriculi devoluta, singultum concitarit. Si non abscessus ætimandus, ad minus humores corrupti per putredinem ad fetorem dispositi, exin arguendi. Cum ultra mensē apud Ill. Vitum hæsisem, à meo discessu, alitus Medicus Ulma evocatus, qui nec morbi Ideam, nec Ill. ægri Naturam habens compertam, Ill. liberis haud exiguum spem fecerat de restituendo, neglectis meis prognosticis

sticis de impossibilitate. Curam ille fidenter est aggressus, opimæ inhibans prædæ, at haud ponderans, quid ill.

Viri humeri valeant, quid ferre refusent, primo die clylma ex Hiera Logad. bened. laxat. a. 3j. injectum, sequenti matutina pil. coch. fætid. an. 3ij. oblatæ. Testor Deum & meam conscientiam, me tum Ministero in officinâ illas præparanti dixisse (quo tum fortè concesseram) eas lat validas, si rustico robusto, nedum Ill. Viro morbo chronicô & senilitate, viribus attritis, exhibendæ, vereri me, ne assumenti sint funestæ, à quorum enormi operatione tantum ille enervatus, ut eo die non parum de vita pericitatus, sed viribus indies magis labescientibus, post quadratum expiravit. Idem ex ore Ill. ac Gener. Dn. Præsidis intellecti, te conceptum illud vehementer laudasse, cum tamen fuerit pñè extemporaneum & à destituto omnibus libris, (quos Alphonsus Rex Neapolitanus, optimos Consiliarios vocare est solitus) exaratum. Fortè præstat cum Biante Philosopho, omnia nostra nobiscum portare, & cum Aristippo, factò etiam librum naufragio, si emergere & cna-

tare contigerit, animum non minus politiori literaturâ, retinere excutum.

Reinerus Solenander in suis consiliis refert, multos in uno latere resolutos, si à principio fortiora exhibita purgantia, humoribus exagitat, etiam in altero, paralysi tentatos, & tandem extintos, quas tamen superfluitates, si mitius tractati, Natura, progressu temporis, concoqueret, evincere ac superare potuisset. Indubium, quin Ill. Viro, si benigniora adhibita, diuturniore hujus lucis usurâ frui licuisset. Ex isthoc subiecto patescit, Cratonis edictum perquam verum, scammoneata & ex colocynthide concinnata pharmaca, senibus præsertim delicioribus, esse reformidanda. Exin cautius ac circumspetius procedendum, si famæ consulendum.

Hac fuit Ill. Viri clausula, tibi notificanda, ut si cum Ill. ac Generoso Dn. Præside, inciderit conferendi occasio, exactum tuum judicium interponere, & æquum arbitrum agere valeas. Hisce me in album tuorum amicorum referendum, trado, atque protectioni divinæ te commendō.

CONSULTAT. IV.

*De Apoplexiâ gravi ad Cl. Dn. D. Gutmannum &
Dn. D. Jenischium, Medicos Augustanos.*

Juve-